

De eis put se habent in seipis. quoadmo-
dum de duobus individuis speciei huma-
ne ut de Aristotele et Platone de quibus
nemo intelligens dubitat quin cum in se
ipsis considerati fuerint eque generabiles
sint et fuerint antequam generarentur. Sic di-
co et de sole quoniam aliud possibile est ti-
bi cum ipso ymaginari. qui non quos duos
in seipsis consideraueris inuenies eos in-
dubitanter eque possibiles esse et eque ge-
nerabiles atque creabiles quantum in ipsis est.
Sic dico de intelligentia prima et de alia
intelligentia ei simili que tamen est. Cum
enim in seipsis considerate fuerint abstra-
cte scilicet ab ipso esse et spoliatas ab eodem
inuenies eas eque propinquas adesse. qua-
re eque possibiles esse et propter hoc eque
creabiles quantum in ipsis est. Nihil autem
creabile est nisi a creatore benedicto qua-
re inuenies creatorem eque potentem cre-
are alterum vel alteram. **Amp.** Potentia
creatoris non magis aspicit in alteram
vel eius possibilitatem quam in reliquam vel
eiusdem possibilitatem nec causa est apud
alteram earum quare potentia creatoris
magis aspiciat in eam quam in alteram quam
tum in ipsa est hoc autem est. quoniam in
ista consideratione videlicet quia conside-
rantur in ista abstractione et spoliatione
nec maior nec melior villo modorum nec ipsi
esse propinquior est altera quam altera. quare
manifestum est quia non magis est creato-
ri alteram creare quam reliquam. Esto igitur
quod creauit reliquam quam posito possibili im-
possibile est accidere impossibile ex ista po-
sitione non accidet impossibile. Dico igitur
quia creator qui modo creat intelligentiam
ipam ex omnibus modis suis. Sic erat
prius quando non creabat eam. Ita erat
sicut est modo cum creat illam apud se esse
immutabilis est in vltimitate immutabi-
litate. Nulle autem dispositiones vel com-
parationes sunt que adiuent creatorem
ut creat eam vel ipam ut creetur nunc. Jam
enim posui tibi ipam nullomodo pedere ex ali-
quo eorum que sunt quare nullo eorum que sunt
adixta est ut creetur preterquam solo creato-
re quod etiam apparere tibi potest ex creatio-
ne alterius intelligentie que adducta est ad
esse a solo creatore et per ipsum solum.

Manifestum igitur est tibi ex hoc exem-
plo sicut creat hanc intelligentiam ex om-
nibus suis modis est sicut erat prius quan-
do non creabat eam quare contrarium bu-

ius est falsum et propter hoc non est veri dei
puri intellectus testimonium et hec est ra-
dix ex qua intendebat elicere probationem
validissimam super eternitatem vel anti-
quitatem mundi.

Estuam autem tibi et aliter hanc
radicem cui ita innititur Auicenna
et dicam quia aut aliquid est nouum
aut non. aut omnia sunt eterna. Nouum
sicut predixi tibi intelligo quod cepit quare si
nihil est nouum eorum que sunt erunt om-
nia eterna hoc est sine initio existendi hoc
autem a deo manifestum est inconueniens et
impossibile ut circa illud non ratione dis-
ceptandum sit. Sed magis igne et gladio
persequendum. et cum hijs qui hoc dice-
rent exterminandum. Restat igitur ut con-
fiteatur. quia reuera aliquid cepit. Causa
ergo clarioris intelligentie inuenitur a. Causa
igitur operata est a. antequam operaretur
illud aut erat ex omnibus modis suis an-
tequam operaretur illud aut non. Si sic. Jam
igitur venit contra illud quod dicebat ve-
ri et puri intellectus testimonij. Si vero non
erat causa a. ex omnibus modis suis an-
tequam operaretur a. sicut postea cum opera-
ta est a. immutata igitur est ex aliquo mo-
dorum suorum et quod nouum factum in ea vel
circa eam illud nouum nominetur b. quo-
niam certum est b. causam habere eadem
questio restat de causa ipsius b. aut enim an-
tequam operaretur ipsum b. causa eius erat ex
omnibus modis suis. Sicut postea cum
operata est b. aut non. Si sic iam dicunt con-
tra illud irrefragabile testimonium. Si ve-
ro dixerit quod non erit. igitur aliquid nouum
factum circa causam ipsius b. illud nouum
vocetur iterum c. quoniam igitur c. causam
habet eadem restat questio. aut ibi igitur
res in infinitum aut occurreret causa econ-
trario se habens illi veri et puri intellectus
testimonij. Si dixerit quia res currit ita in
infinitum. Impossibile igitur erit aliquid
fieri nisi infinita fiant cum eo. Jam autem
declarauit Aristoteles in libro suo quem
vocaui auditum hoc esse impossibile et fa-
cilis etiam est tibi alia declaratio impossi-
bilitatis ipsius quoniam infinita non pos-
sunt fieri simul ab vno et eodem agente.
Sed neque infinitos possibile est esse simul
et propter hoc nec infinita corpora nec infi-
nita corporalia agentia possibile esse simul
quare nec infinita patientia. Similiter nec
Ri: u